



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio V. De integritate confeßionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

2. Ut confessio dicatur fieri præfenti, requiritur ut aliquod signum sensibile in præfenti a sacerdotis edatur, cum confessio debeat esse quid sensibile; penitens autem ex suppositione nullum signum edit in præfenti a sacerdotis.

Est igitur tertia responsio in casibus dubij inueniri confessionem, quæ dirigatur ad sacerdotem absentem. nam qui mittit ad sacerdotem, vel ostendit doloris signa, censetur confessionem inchoare, & eam, prout potest, instituere, ac subiicere materiam, subiiciendo scilicet statum peccatoris, quod sufficit ad valorem Sacramenti, quando aliud præfari non potest, & in nostro casu sufficit ut sacerdos præfens impendat absolutionem, quamque demum ratione ei innotescat ægrotum velle confiteri, vel doloris signa edidisse.

Ex quibus omnibus ampliùs patet quòd dubio 3. diximus non repugnare rationi confessionis sacramentalis, & valori Sacramenti penitentiae, quòd confessio instituat in absentia sacerdotis.

QVÆSTIO V.

De integritate confessionis.

DVBIVM I.

Vtrum confessio debeat esse omnium mortalium?

QVÆSTIO intelligitur, per se loquendo, quia ex communi doctrina Theologorum, & ex infra dicendis satis constat variis casibus posse quædam peccata reticere in confessione saluà substantiā, & veritatem Sacramenti, intelligitur etiam de peccatis mortalibus nunquam legitime clauibus subiicendis: nam peccatum semel legitime, & perfecte clauibus subiectum, cuius homo absolutionem est consecutus, non tenetur iterum clauibus subiicere, per se loquendo, & quantum est ex iure diuino ex præcisâ institutione Sacramenti. his præmissis, queritur num homo teneatur in vna, & eadem confessione recensere omnia mortalia, quorum grauam habet conscientiam? ad quod

Resp. affirm. est de fide definitum in Conc. Trid. sess. 14. can. 7. & 8. traditurque cap. 5. eiusdem sessionis, traditur etiam in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur cap. omnis vtriusque, de penitentiis, & remissionibus, & in Florentino decreto de Sacramentis. videri etiam potest propositio 3. & 4. damnata Petri Oxoniensis.

Probatur 1. ex Patribus qui id satis indicant. Ambrosio lib. 2. de penitentia cap. 6. dicente: Si quis iustificari, satere delictum tuum, soluit enim criminum nexum. rerecunda confessio peccatorum, quod intelligit de confessione faciendâ in specie. Hieron. in cap. 16. Matthæi: *Alligat, vel soluit Episcopus, et presbyter &c.* sed pro officio suo, cum peccatorum auditur, variat, scit qui ligandus sit, quæue soluendus. Bernardus sermone 16, in Cantica: *Omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fideliter.*

Probatur 2. ex sensu totius Ecclesiæ. nam, ut Tridentinum cap. 5. cit. docet, Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere, quod etiam definit can. 7. & 8. cit. ex quibus locis patet

eam necessitatem esse iuris diuini, præsertim cum, ut patet ex eodem Concilio, & variis patribus, Cyrillano sermone de lapsis, Bernardo cit. opus sit recensere etiam peccata occultissima, & quæ in opus externum non prodeunt, quod Ecclesia neuiquam potuisset præcipere, si non fuisset diuino iure præceptum.

Probatur 3. ex institutione huius Sacramenti. Christus Dominus instituit hoc Sacramentum per modum iudicii dans sacerdotibus potestatem remittendi, & retinendi peccata, non pro arbitrio, sed pro officio, ut Hieron. supra, quod non possunt prudenter facere sine causæ cognitione, igitur necesse est causam illis explicare, idque integrè quantum homo potest meminisse, cum non sit dicendus causam exponere, qui sciens, & volens aliquid reticet, & sacerdos non possit iudicium ferre de eo, quod illi non explicatur, & subiicitur, item constat erecto hoc tribunali in Ecclesiâ nullum peccatum commissum post baptismum remitti absque ordine ad illud, cum ergo omnia, & singula, per se loquendo, clauibus sint subiicienda, omnino dicendum Christum instituisse, ut homo in vna, & eadem confessione subiiciat omnia quorum habet conscientiam, consequentia probatur, per se loquendo homo debet ab omnibus directè absolui; non potest autem absolui directè ab eo quod non subiicit, quia sacerdos non potest ferre sententiam de eo, quod illi non subiicitur. præterea non est dignus absolui ab vno peccato mortali, qui sine causâ aliud mortale reticet. vnde præclare Trident. cap. 5. cit. *Qui scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitatis per sacerdotem remittendum proponunt.*

Ex dictis patet nullam futuram absolutionem si quis sine causâ peccatum aliquod mortale in confessione reticeat.

Dices, constat variis casibus valide, & licite impendi absolutionem, quamuis non explicentur omnia mortalia. 1. si iustâ de causâ aliquod mortale in specie reticeatur. 2. si post inchoatam confessionem, etiam in qua homo solam dixerit se peccasse, incidat in deliquium & mortis periculum. 3. si in mortis periculo constitutus præbeat aliqua doloris signa, ergo signum est hoc iudicium non requirere omnimodam, & particularem causæ notitiam, & proinde ex conditione huius iudicii non posse colligi hominem iure diuino teneri ad integram peccatorum confessionem, quæ eius animam grauant. consequentia probatur, si natura huius iudicii id requireret, impotentia id præstandi non redderet absolutionem validam, futuram aliâs inuolidam.

Confirm. particularis confessio videtur requiri ut sacerdos tanquam iudex comparet causæ notitiam, ut prudenter sententiam ferat. sed primò ad valorem absolutionis non requiritur ut ea prudenter sit lata. secundò, ex iam allatis patet sacerdotem posse prudenter ferre sententiam, licet non habeat exactam, & particularem notitiam status penitentis. 3. interdum sacerdos non ita potest iudicare de peccatis sibi in confessione explicatis.

Resp. concedendo antecedens argumenti, negando consequentiam, si consequens intelligatur, per se loquendo, & quantum fieri potest ex parte penitentis, negando etiam eiusdem consequentiæ probationem. pro quo

Notandum quòd licet ad condemnandum ita requiratur notitia causæ, ut vnde cumque contingat illam non comparari, reus iudicari & condemnari

nari non possit: ad absoluendum tamen id non sit ita necessarium. nam in iudicio humano aliquis potest consequi absolutionem delicti, si bonâ fide procedens causam exponat prout potest, & quantum est ex sua parte nihil celet principem, quod ad causæ notitiam faciat, cum ergo hoc iudicium penitentiae sit iudicium reconciliatorium, & potissimum erectum in bonum fidelium, ut quis in eo Deo reconcilietur, sufficit ut quantum in se est, bonâ fide procedens suum statum explicet prout potest, ita ut si etiam per diligentiam sacerdotis exacta notitia haberi nequeat, possit absolui. ad confirmationem resp. requiri confessionem particularem, ut quantum est ex parte penitentis, & causæ explicatione sacerdos possit eiusdem causæ statum cognoscere, & prudenter procedere, atque adeo vitari confessionem si penitens ex sua parte non explicet in particulari & integrè causam, & per se loquendo voluntariè omittat aliquid, quod ad illius notitiam faciat.

96.

Replica.

Dices non esse verisimile Christum tantum onus imposuisse, cum illud onus meritò possit censerì impossibile, & intolerabile.

Resp.

Resp. negando assumptum: ex dictis enim contrarium patet. ad probationem respondeo non posse meritò censerì onus impossibile, vel intolerabile, cum, ut etiam ex dictis patet, non imponatur per illud omnimoda necessitas omnia mathematicè recensendi, sed solum ea explicandi, quæ per diligens examen memoriæ occurrunt, ex quorum notitia sacerdos potest procedere, ita ut licet penitens nihil in particulari explicet eò quod non possit, sit in necessitate absoluendus, ut diximus dubio ultimo præcedentis quæstionis. quia explicat suum statum prout potest, quod in tali necessitate sufficit ad impendendam absolutionem, videri potest Trident. cap. 5. citat. ubi docet impium esse confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur (scilicet omnia mortalia recensendo quæ post diligens examen memoriæ occurrunt) impossibile dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. præterquam quod, ut ibidem concilium, ipsa huiusmodi difficultas, ac peccata detegendi verecundia, quæ gravis videri posset, subleuetur magnis commodis & consolationibus, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur.

Trident.

Dixi, per diligens examen quia præceptum divinum integrè confitendi ad hoc obligat, cum illud sit necessarium ad confessionem bonâ fide integrè faciendam, neque morali, & prudenti iudicio censendas est suæ conscientiae statum explicare & vulnera integrè aperire, qui in iis peruestigandis nullum studium adhibet, vel non iuxta negotij conditionem ea tamen diligentia sufficit, quam unusquisque pro suo captu in referri potest, & solet adhibere. unde simpliciores post mediocrem sui discussionem possunt audiri, cum hi vitam præteritam non ita possint discutere, in quibus proinde interrogatio sacerdotis, cui possint aliquo modo respondere, magnâ ex parte examen supplere potest.

Simpliciores post mediocrem sui discussionem possunt audiri, & absolui.

97.

Corollarium.

Ex dictis potest colligi 1. in confessione explicanda esse peccata interna, v. g. internas pravas complacentias, prava desideria, quæ etiam in opus non prodierunt.

2. Recensenda peccata publica.

3. Quando ipsum peccatum opere externo est

perpetratum, non solum explicandam internam voluntatem, sed etiam ipsum opus externum, quod est materiale ipsius peccati, & pars, in qua voluntas interior consummatur.

4. Recensendas peccatorum species, & quid, quid facit ad moralem specificam diversitatem, dico moralem, quia diversitas specifica physica non debet recenseri, si eâ non obstante non mutetur species in genere moris, cum eo casu non faciat ad causæ notitiam, & non mutet iudicium in ordine ad mores. quod si quidpiam inducat specificam diversitatem moralem, necessariò est explicandum ut communius tradunt Doctores contra Caietanum, qui tomo 1. opusculorum tractatu 5. quæst. 3. censet non omnes species esse explicandas, sed solum eas quæ diversum inducunt iudicium. verum eius sententia videtur aperte repugnare Tridentino cap. 5. cit. tradenti eas circumstantias in confessione explicandas, quæ speciem peccati mutant: inde enim aperte sequitur id omne explicandum, quod diversitatem specificam moralem malitiæ inducit in actu.

Confit. quia id omne potest inducere diversitatem iudicij.

Ex quo patet quod quando circumstantia novam speciem malitiam tribuit, non solum sit necesse recensere actum, prout versatur circa obiectum principale, sed etiam recensendam circumstantiam, quæ mutat speciem, ut definitur in Trident. sess. 14. can. 7. de penitentia: quia ad perfectam notitiam actus in genere moris necesse est nosse utramque malitiam, & cum respectu sui invicem sint disparatæ, & ex vnius notitiâ non habeatur notitia alterius, explicatâ malitiâ actus secundum quod versatur circa obiectum principale, non cognoscitur malitia eiusdem actus petita ex circumstantiâ, ubi

Notandum quod interdum singulæ malitiæ seorsim explicatæ sufficienter innotescant, ita ut non sit necesse unitè explicari per ordinem ad unum actum, ut si quis voluerit occidere, ut furaretur, non est necesse dicere: volui occidere ut furarer, sed sufficienter explicat dicendo: volui occidere, & volui furari, cum singulæ malitiæ possint secundum suam rationem ultimam perfectè intelligi etiam si solitariè recensentur. interdum malitia circumstantiæ seorsim explicatæ non sufficienter innotescunt. quo casu non sufficit illam recensere per modum obiecti, & seorsim ab actu, cuius est circumstantia, sed necesse est recensere tantquam circumstantiam, prout est in certo actu, & prout dicit ordinem ad obiectum principale actus, v. g. ei qui commisit adulterium cognoscendo uxorem alterius, non sufficit in confessione dicere: fui fornicatus, & irrogavi iniuriam proximo, sed necesse est dicere commisi adulterium, seu carnaliter cognovi uxorem alterius: similiter occidenti sacerdotem non sufficit dicere occidi hominem, & commisi sacrilegium, sed necesse est dicere: commisi sacrilegium occidendo sacerdotem, vel saltem personam Deo sacram. 3. cognoscenti carnaliter propriam matrem non sufficit dicere fui fornicatus, & fui impius in matrem, sed necesse est dicere: commisi incestum cum matre, vel matrem carnaliter cognovi, & ita de multis similibus est iudicandum.

Ratio est quod in similibus casibus malitia circumstantiæ non possit sufficienter cognosci vique ad ultimam, & specificam rationem, nisi explicetur per modum circumstantiæ actus in particulari, cui

cui accidit. eo quod quedam circumstantiæ ita connotent obiectum, ex quo desumitur prior malitia, ut illud essentialiter respiciant, & pro diuersâ habitudine ad illud & ad malitiam, quæ ex illo desumitur diuersificetur malitia circumstantiæ, seu actus prout affectus tali circumstantiâ aliam atque aliam sortiatur malitiam ratione coniunctionis cum obiecto principali, eo quod propter coniunctionem & habitudinem ad illud, alia atque alia deformitas resultet in circumstantia, quod à morali iudicio pendet, secundum quod iudicium morale alia est inhonestas impietatis in matrem, dum quis eam carnaliter cognoscit, alia dum eam occidit, alia dum eiusdem indigentia non succurrit.

Vnde ratio impietatis non potest cognosci vsque ad ultimam suam differentiam, si solum dicatur sui impius in matrem, non addendo id ex quo potest cognosci ratio specifica malitiæ impietatis in aliquo actu inuentâ. similiter ratio sacrilegij non sufficienter innotescit vsque ad ultimam suam rationem, nisi explicato actu ex quo provenit, nam alia est ratio sacrilegij in furto rei sacræ, alia in homicidio personæ sacræ, alia in actu carnali cum personâ Deo sacratâ, idque propter habitudinem ad actum materialem, & proinde, ut illa ratio ultima possit innotescere, necesse est explicare circumstantiam sacrilegij per modum circumstantiæ, & ut in certo actu inuentam: non verò solitariè per modum distincti obiecti.

Ex quo notabili facili patet quomodo is qui inculpate omisit explicare aliquam circumstantiam mutantem speciem, debeat in sequenti confessione, quando illius circumstantiæ meminit, dicendum enim, si communi iudicio species malitiæ ipsius circumstantiæ possit cognosci sine connexionione cum obiecto principali actus, sufficere illam solitariè explicare. ut si quis voluerit hominem occidere ut furaretur, & in confessione inculpate non recenserit se voluisse furari, in sequenti confessione sufficienter recenset dicendo: volui furtum committere: quia malitia furti preferretur cognosci potest sine vllâ coniunctione, vel habitudine ad homicidium: si verò malitia circumstantiæ in sua specie nequeat cognosci sine connexionione cum eo, cuius est circumstantia, debet in sequenti confessione recensere per modum circumstantiæ: quia ut dictum est non poterit aliâ cognosci species malitiæ. ut si is qui matrem carnaliter cognouit, dicat in priori confessione se fornicatum, non sufficit si in sequenti dicat se fuisse impium in matrem, sed necesse est dicat se fuisse impium eam carnaliter cognoscendo.

5. Ex dictis colligi potest necesse esse, per se loquendo, recensere in confessione numerum peccatorum mortalium. de quo licet aliqui ante Tridentinum vixi sint dubitare, non potest tamen merito in dubium reuocari, cum vsus Ecclesiæ id confirmet, & videatur aperte tradere Tridentinum sess. citat. capit. 5. & canon. 7. nam capit. 5. docet institutam à Christo integram peccatorum confessionem; morali autem, & communi iudicio integra dici nequit, in quâ solum species recensentur, non etiam numerus peccatorum.

Eodem capite docet omnia peccata quæ me-

moria occurrunt confitenda, & can. 7. addit & singula; communi autem vsu huiusmodi loquendi formæ designant omnem numerum recensendum.

Nam is non dicitur singula sua peccata recensere, qui non recenset eorundem numerum; verba autem Concilij in re morali accipienda sunt secundum communem eorum vsûm, nisi constet de contrario.

Adde non tantum varietatem specificam, sed etiam multitudinem numericam peccatorum facere ad iudicij varietatem. numerus ergo peccatorum mortalium indubitatè in confessione est recensendus, atque adeo quidquid ad diuersitatem numericam facit etiam intra eandem speciem, licet fortè in eodem actu materiali inueniatur.

Vnde si coniugatus carnaliter cognouerit coniugatam, non sufficienter confitebitur dicendo: commisi adulterium, sed necesse est dicat se coniugatum cognouisse coniugatam: nam in hoc actu duplex iniuria inuenitur, quæ non sufficienter explicatur, & intelligitur, dum simpliciter dicitur: commisi adulterium. duplex etiam est peccatum contra bonum fidei matrimonialis, quia duplex matrimonium violatur. ex his verò oritur

Difficultas num numerus malarum voluntatum, quæ in actum externum non prodeunt, sit recensendus; aliqui existimant quando in peccatis internis sine retractione, vel contrariâ voluntate sit interruptio, esse moraliter idem peccatum in se, & coram Deo, & proinde in ordine ad confessionem. ita Canus relectione de penitentia parte 5. §. & per hoc ad primum, Salas 1. 2. tractat. 7. disputat. 6. sect. 6. conclus. 4. pro qua plures citat. videntur autem auctores illius sententiæ intelligi si interruptio sit parua. videri potest Salas conclus. 7. sect. citata.

Alij censent esse diuersa numero peccata, atque adeo, per se loquendo, tanquam plura in confessione recensenda. tenet Suarez disputat. 22. sect. 5. numer. 14. Valquez quæst. 91. artic. 1. dubio 5. num. 16. & alij. quæ sententia est omnino verior: quia constat esse duos actus physice distinctos, quorum singuli liberè eliciuntur à voluntate (id enim in hac difficultate supponi debet) & proinde sunt liberi, nec in aliquo censentur continuari, ergo verè, & propriè habent distinctas numero malitias, & proinde sunt distincta peccata, & tanquam talia, per se loquendo, sunt in confessione explicanda.

Consequentia probatur, quia positis conditionibus, quas recensuimus, concurrunt omnia necessaria ad tribuendam distinctam numero moralem malitiam.

Confirmatur 1. quando adest voluntas contraria, dicuntur plura numero peccata constitui; ergo & eâ absente: quia non potest ostendi, quid faciat voluntas illa contraria ad intrinsecè constituendam distinctam numero malitiam, licet à posteriori per illam facilius nobis possit innotescere quod sint distincta numero peccata.

Confir. 2. si voluntas ita interrumpatur, ut nulla intercedat quidem contraria, non tamen resumatur nisi post tempus notabile, certò sunt peccata numero distincta &, per se loquendo, tanquam

Verba Concilij in re morali sumenda sunt secundum communem eorum vsûm.

100.
Difficultas
An numerus malarum voluntatum sit recensendus.

Negant quidam.
Canus.
Salas.

101.
Affirm. verior.
Suarez.
Valquez.

Confir. 1.

Confir. 2.

talia in confessione recensenda; ergo, per se loquendo, idem dicendum. quamvis parum temporis inter voluntates intercedat: quia magna temporis intercapedo non facit, ut actus sint distincti moraliter, & moralem malitiam distinctam habeant, quam non habent si solum parua intercedat, licet magna intercapedo possit deferuire ad facilius cognoscendam numericam actus distinctionem. nec contra hanc sententiam adferuntur argumenta alicuius momenti: quia licet quando voluntas non retractatur per contrariam, censeatur remanere habitualiter, non tamen remanet actualiter, sed ad hoc posterius requiritur continuus ipsius influxus cum in presentia casu nihil aliud sit, in quo dici possit permanere.

102.

Difficultas
an ut diuer-
sa, confiten-
da quando
manente a-
ctu exter-
no repeti-
tur voluntas
interna.

Resp. neg.

Coroll.

Secunda difficultas est an sint diuersa numero peccata & ut talia recensenda in confessione quando durante actu externo repetitur interna voluntas, verbi gratia, quando is qui furatur aliquoties interius repetit voluntatem furandi; quando qui aliquod proficiscitur ut inimicum occidat, aliquoties in itinere repetit voluntatem occidendi.

Resp. non esse: quia tales voluntates in opere externo continuantur: quamdiu enim opus externum durat, moraliter quodam modo informatur saltem virtualiter à voluntate, ex qua prodijt, & proinde illa censetur in tali opere perdurare. hinc quantumvis voluntas repetatur, & fiat magis formalis, non multiplicat peccatum, nec ut peccatum multiplex in confessione est explicanda, & ita communiter Doctores. hinc oritur, ut quando quis serie quadam versatur in medijs ad certum finem subordinatis idque ex intentione talis finis vnum numero peccatum committat, quantumvis voluntas reperatur. ut si quis volens inimicum occidere velit in viam se dare, ut id faciat equum conducatur, conscendat, proficiscatur &c. interdum repetat voluntatem occidendi, quia familia media morale inter se habent connexionem ex intentione finis, ex qua saltem virtualiter procedunt. unde nisi in ipsis medijs specialis quedam deformitas inueniatur, præter eam, quam accipiunt, ex fine, & eius intentione, non est necesse ipsa recensere, v.g. in exemplo allato non opus recensere omnia media assumpta ad occisionem inimici, sed sufficit dicere: occidi inimicum; quia vnicum inuenitur peccatum occisionis inimici. Idem dicendum, si media alijs mala non habeant distinctam malitiam, sed solum subordinatam malitiæ finis, ut sunt oscula, tactus impudici, verba impudica, quæ habent malitiam subordinatam actui completo. sufficit enim recensere vltimum actum: quia quando assumuntur tanquam media, vnum numero peccatum constituunt cum actu vltimo, cui subordinantur, tanquam imperfectum perfectio eiusdem moris.

Suarez.
Vasq.

Dixi tanquam media: quia si assumantur post actum completum, seu vltimum, constituent distinctum numero peccatum, ut bene docent Suarez supra nu. 26. & Vasquez dub. 5. cit. nu. 30. contra Nauarrum, qui cap. 6. num. 17. censet constituere vnum numero peccatum cum actu principali, quando immediate post illi coniunguntur. v.g. si quis impudicè aliquam tangat immediate postquam cum eâ commisit fornicationem. sed, ut dixi omnino verius est duo esse peccata: quia tactus exercitus post actum completum non potest habere rationem medijs respectu illius, & proinde ex eo

capite non potest vnum numero malitiam cum eo participare.

Confirmatur, secundum naturalem exigentiam subordinatur alteri actui, ad quem ex sua naturali conditione inducunt, videri etiam potest Vasquez 1. 2. tomo 1. disp. 75. cap. 2. in fine.

Ex eo, quod numerus peccatorum sit recensendus, per se loquendo, opus est recensere numerum actionum, vel voluntatum, quæ per somnum interrumpuntur: quia per somnum ita cessat actio moralis, ut si postmodum repetatur, sit diuersa numero, & aliam numero malitiam contrahat, communius idem dicitur de retentione rei alienæ, quod scilicet etiam iniqua detentio interrumpatur per somnum: quibusdam tamen videtur probabile quod in eâ somnus non sit causa multiplicis peccati, sed quod eo non obstante sit vnum numero peccatum: quia vnica moralis detentio, nam ut homo dicatur aliquid moraliter detinere, sufficit ut possessionem moraliter inchoet, & non interrumpat, & morali iudicio aliquis dicitur rem suam moraliter possidere, etiam quando dormit, vel de eâ nihil planè cogitat. hæc sententia non videtur planè improbabilis.

Obiter notandum præter modum interruptionis per somnum (secundum communem sententiam) detentionem etiam interrumpi, quando quis proponit commodo tempore restituere, vel quando quis sit impotens restitutionis faciendæ. unde postmodum fiat potens, & non restituit, multiplicatur peccatum, similiter si in priori casu renouet propositum non restituendi.

Circa hanc peccatorum numerationem.

Aduerte 1. quod quando ea non potest iniuri, sufficiat, ut penitens bonâ fide numerum recensat plus minus, vel si ne hoc quidem possit, saltem recensat consuetudinem. verbi gratia, prædo recensat quamdiu fuerit paratus prædari, miles quamdiu fuerit paratus peierare, blasphemare oblata occasione, meretrix, quamdiu corpus suum prostituerit, vel quam frequenter, spectata conditione loci, in quo agit, soleat in septimana &c. peccare. quia hoc modo status similium hominum cognosci potest, & moraliter est illis impossibile aliter numerum inire. quod maxime verum est in peccatis internis. quod si numerus alicuius speciei facili possit iniuri, is est recensendus, v.g. licet difficillimum sit meretrici inire numerum fornicationum: si tamen sciat quoties sacrilegium commiserit rem habendo cum religiosi, debet eum numerum in particulari explicare, circa hæc ulterius

Aduerte 2. quod qui ita consuetudinem explicuit, aliquorum sententiâ non teneatur postmodum peccata in particulari explicare, quamuis recordaretur aliquorum in particulari. quia illa in huiusmodi consuetudine explicata fuerunt, idem dicendum quando quis recensuit numerum, dicendo plus minus: tunc enim licet postmodum recorderet certi numeri, non teneatur eum recensere in sequenti confessione, nisi numerus esset notabiliter maior. ratio prioris partis est quod in tali casu numerus sufficienter censetur expressus, dum dicitur plus minus. ratio posterioris est quod in tali modo loquendi non censetur comprehensus excessus notabilis. in his conscientie, quæ bonâ fide procedunt, non sunt nimium vrgendæ, & notant plerique quod confessarius non debeat esse nimis rigidus, ut certum numerum eliciat ab ijs, qui suum statum explicant recensendo consuetudinem.

uetudinē, quia moraliter est illis impossibile certum numerum recensere, & nimis graue est illos ad eum vrgeri.

Virum circumstantiæ aggravantes, non mutantes speciem sint in confessione recensendæ?

D V B I V M II.

QUÆSTIO intelligitur quando non transerunt actum de veniali in mortalem, certum enim est quod si actus futurus aliquo venialiter malus accessu circumstantiæ reddatur malus mortaliter, circumstantia sit explicanda, seu actus mortaliter malus recensendus, cum omne mortale commissum post baptismum sit in confessione aperendum. idem dicendum, si circumstantia sit causa, cur actus qui alioquin esset mortale peccatum, sit veniale. hoc præmissis, duæ sunt hæc de re sententiæ.

Prior asserit explicandas. tenet Victoria num. 166. Sotus distinct. 18. quæst. 2. art. 4. §. colligitur ergo, Canus relectione de penitentia p. 5. §. equidem in re, Suarez disp. 22. sect. 3. §. nihilominus contraria, & plures antiqui tum ab his, tum à Vasquez quæst. 91. artic. 1. dubio 2. citati, quam etiam tenent varij recentiores, ita ut immerito contraria sententia à quibusdam dicatur communis.

Posterior sententia negat. S. Th. in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunculâ 5. Durandus eadem dist. q. 4. Palud. q. 3. art. 3. Nauarrus in summa cap. 6. num. 6. & 7. Valentia disp. 7. q. 11. puncto 1. concl. 5. Vasquez dubio est. num. 6. qui plurimos citat.

Aduerte confessarios communis sese 2. sententiæ conformare, cum non sint valde solliciti interrogare de circumstantiis solum aggravantibus intra eandem speciem, imò, quidquid sit de speculatione, in praxi ad pacandas conscientias sapientius vtilius esse eam consilium, cum negari non possit quin sit probabilis.

Dico etiam nunc mihi videri speculatiuè probabiliorē, quam bene videtur probare Vasquez supra. pro illius probatione.

Notandum quod si teneamur circumstantias aggravantes intra eandem speciem recensere, id proveniat ex diuino præcepto positio, cum etiam posita institutione confessionis non sequatur ex rei naturâ nos debere in eâ recensere huiusmodi circumstantias.

Confir. nullus negare potest confessionem ita potuisse institui, ut sufficeret recensere mortalia quoad numerum, & speciem. cum ergo ea obligatio dicenda sit provenire ex diuino præcepto, an reipsâ obligemur ex diuino præcepto iudicandum vel ex loco, ex quo præceptum confessionis passim agnoscitur, vel ex sensu Ecclesiæ. ex his

Probatur conclusio; nos teneri recensere circumstantias solum aggravantes, neque constare ex Scripturâ, neque ex sensu Ecclesiæ, igitur dicendum nos ad id non teneri. consequentia probatur, si ex illis capitibus non constet, lex quoad illas circumstantias non est satis clara, ergo non obligat, cum ad hoc ut lex obliget, debeat esse clara saltem ex usu, vel sensu eorum, qui eam possint interpretari.

Dices videri satis clare deduci ex modo, quo institutum est Sacramentum penitentiae: nam ex Trident. sess. 14. cap. 5. & ex sensu Ecclesiæ constat in Sacramento penitentiae debere explicari numerum, & species peccatorum, quia, ut iudicium Sacramenti penitentiae exerceatur, debet causa quantum fieri potest, perfectè cognosci, seu penitens, per se loquendo, debet eam distinctè explicare, ergo ex quo loco deducitur debere recenseri numerum, & species, deducitur etiam explicandas circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem, cum ea explicatio sit necessaria, ut causa distinctè cognosci possit.

Confirmatur, circumstantiæ notabiliter aggravantes etiam intra eandem speciem nata sunt multum variare iudicium, ut patet in iudicio externo: aliter enim disponunt iudicem ad sententiam ferendam, quam si abessent.

2. Ex institutione huius Sacramenti habemus quod requiratur ea confessio, quantum est ex parte penitentis, ex qua confessarius prudenter possit procedere in penitentis iniungendis, quæ equitas non potest ita seruari, si non tenemur circumstantias aggravantes recensere.

Ad prius argumentum resp. id non satis clare deduci: quod probatur à posteriori ex eo quod Concilium loco citato id nullo modo deduxerit: cum tamē fuisset ei facile, si existimasset clare haberi ex institutione Sacramenti penitentiae, ex quo posteriori sumi potest argumentum pro 2. sententia. Concilium neque ex naturâ iudicii, neque ex institutione Sacramenti penitentiae docet recensendas circumstantias solum aggravantes intra eandem speciem, ergo signum est id nō clare deduci tanquam contentum in præcepto diuino confessionis. ad probationem ergo dico Concilium satis insinuare noticiam, quæ in hoc iudicio requiritur, esse noticiam numeri, & specierum peccatorum, & quod ex iure diuino non requiratur alia, siue quod Christus solum exegerit ut causa quoad numerum, & speciem culpæ distinctè quantum fieri posset, explicaretur, & quod quantum est ex parte penitentis sacrosdos illam habere debeat ad confirmationem resp. quamvis in foro humano iudex ex huiusmodi noticiâ moueri possit, non concludi in hoc foro illam esse necessariam, nisi aliunde ostendatur Deum eam requisivisse, quia si quid in foro externo inueniatur, non videtur statim debere exigi in Sacramento penitentiae.

Ad posterius resp. ex institutione huius Sacramenti non necessariò deduci, quod confessarius debeat iniungere penitentiam secundum totā gravitatem peccati vndequeque proveniente. sufficit ut iniungat convenientem spectatā gravitate quæ ex numero, & speciebus peccatorum provenit, cum constet ita potuisse statui, & non habeatur clare aliter statutum, imò ex eo quod Concilium Tridentinum cap. citat. etiam ex æquitate in penitentis seruandâ concludat peccata in specie, & sigillatim recensenda, colligi potest sacerdotem non teneri aliud considerare, quam speciem, & numerum peccatorum in penitentis iniungendis.

Aduerte varios, qui secundam sententiam sequuntur aliquas adhibere limitationes quibus censent circumstantias aggravantes esse recensendas: sed minus conformiter principiis illius sententiæ, vnde Vasquez supra numer. 38. melius negat vniuersaliter esse recensendas, scilicet per

Replica prior.

Replica posterior.

Resp. ad priorem.

Si quid in foro externo inueniatur non necessariò debet exigi in Sacramento penitentiae.

Resp. ad poster.

109.

Quorundam limitationes parum conformes principiis huius sententiæ.

se loquendo, quia verè omnium eadem est ratio, quòd si quardam certò videantur recensenda, id non contingit quòd solùm aggrauent intra eandem speciem, sed quòd inde noua vel specie vel saltem numero malitia in actum deriuetur.

Per accidens potest quis obligari ad recensenda circumstantiam operis externi.

Dico, *per se loquendo*, scilicet spectato diuino praecepto confessionis, quia per accidens poterit aliquis obligari ad recensendam certam circumstantiam operis externi, vt si occasione illius casus sit referuatus superiori, vel si ratione circumstantiae actui sit annexa excommunicatio. v. g. si furtum mille aureorum sit referuatum, vel annexam habeat excommunicationem, necesse est hanc quantitatem explicare, vt videlicet sacerdos aduertat num ab eo possit absolvere, vel an debeat premittere absolutionem ab excommunicatione.

Dices etiam si furtum ratione quantitatis non sit referuatum &c. nihilominus videtur quantitas explicanda, cum ratione illius maximum furtum possit aequialere multis minutioribus mortaliter malis.

II.

Obiectio 1.

Resp. neg. assumptum, ad cuius probationem dico id non referre, quia quod ex diuino praecepto debet confessarius considerare, & spectare, est solùm grauitas peccati ex numero, & speciebus proueniens, vt suprà dictum est.

Resp.

Contra resolutionem potest obijci 1. quòd is, qui vellet tres occidere, non satisfaceret dicendo in confessione habui voluntatem occidendi, sed deberet dicere occidendi tres.

Resp. ita esse, sed tamen dico id non prouenire ex eo quòd in tali voluntate inueniatur circumstantia solùm aggrauans intra eandem speciem, sed quòd tres numero malitiae reperiantur: nam quòd admodum in actu externo tres numero iniuriarum, & tria damna proximi inuenirentur, atque adeò tres numero malitiae, ita in interno tres numero malitiae inueniuntur per ordinem ad huiusmodi tria damna.

Porrò in actu etiam vno externo, quo tres occiderentur, inueniri tria damna, & tres iniurias patet ex eo quòd tres vitae tollantur, & actus sit malus & multiplici respectu ad damna diuersa.

Confir. in conjugato qui uxorem alterius carnaliter cognoscit, hic enim vno actu duplicem numero iniuriam committit iuxta communem Doctorum sententiam, scilicet suae compati, & compati illius, quam cognoscit. secus dicendum in furto, quando quis res plurius vno actu furatur. tunc enim est vnicum damnum, & proinde vna malitia in confessione recensenda.

III.

Obiectio 2.

Obijci potest 2. poenitens tenetur respondere sacerdoti interroganti de circumstantiis notabiliter aggrauantibus intra eandem speciem, ergo, per se loquendo, tenetur non interrogatus recensere, cum, per se loquendo, non teneatur respondere nisi quando tenetur explicare.

Resp.

Respondeo negando consequentiam: quia sacerdos tanquam iudex potest interrogare, vel vt sciat num casus sit referuatus, vel num poenitens sit in morali peccandi periculo &c. etiam iis casibus, quibus poenitens non tenetur per se ante interrogationem recensere, quia scilicet scit nihil horum subesse.

III.

Obiectio 3.

Obijci potest 3. quòd iuxta dicta is, qui furatus est centum, possit citra mortale sacrilegium dicere se furatum triginta, cum explicet grauitatem specificam peccati, & solùm reticeat, vel saltem mentiatur in circumstantia, quam

iuxta secundam sententiam non tenetur explicare.

Respondeo negando assumptum, eiusque probationem: quia dicendo se furatum triginta supponit aliud numero peccatum, quod non fecit, & ita reddit irritam confessionem. quia qui in confessione dicit se furatum triginta, morali iudicio dicit se solùm triginta furatum, atque adeò exprimit aliud actum furti, quam commiserit, & ita exprimens mortaliter peccat subiciens actum mortaliter malum, quem non commisit.

D V B I V M III.

Utrum teneamur confiteri peccata dubia?

NO T A N D U M si nomen propriè dici dubitare quando fluctuat, nec potest in alterutram partem determinatum iudicium formare, quod interdum accidit, quia in neutram partem suppetit ratio, interdum verò contingit, quia vtriusque apparent rationes probabiles, quantum ad praesens institutum pertinet homo potest esse dubius de tribus conditionibus peccati. 1. enim potest dubitare, num peccatum commiserit, v. g. habuerit delectationem morosam, quo casu dubium versatur circa facti substantiam. 2. certe de facto, potest dubitare de qualitate peccati, v. g. aliquis certus quòd commiserit peccatum detractionis, potest dubitare an in eo mortaliter peccaret, an solùm venialiter. 3. certus de facto, eiusque conditione, potest dubitare num illud in confessione clauibus subiecerit.

Quando constat de facto eiusque qualitate, verbi gratia, quando aliquis certus est se commisisse peccatum detractionis, idque mortale, dubitat autem num illud in confessione aperuerit, nec cessariò debet illud in confessione aperire, ratio fuit, quod deo casu constet de obligatione praecepti, seu constet quòd illud peccatum debuerit in confessione aperiri, & non constet de executione praecepti, igitur remanet obligatio illud clauibus subijciendi, cum certae obligationi non satisfiat, neque censetur satisfactum per solutionem seu adimplerionem dubiam. verbi gratia, dubius num legerit horas, ad quas certò obligatur tenetur eandem legere neque per dubiam illam executionem censetur satisfecisse obligationi. ratio est quòd praeceptum sit, vt ita dicam, in possessione, vt omnia mortalia in confessione aperiantur, quia non debet debarbari propter superueniens dubium de adimplerione.

Et haec quidem vera sunt, per se loquendo: per accidens tamen ratione scrupulorum potest aliquis excusari ne repetat in confessione peccata, de quibus dubitat num illa fuerit aliquando confessus, praesertim si id faciat ex iudicio prudentis confessarii; excusari etiam potest si dubium suboritur diu post perpetratum peccatum, & persona praemisso examine soleat bona fide confessiones instituere. quia moraliter est impossibile post diuturnum aliquod tempus posituè recordari omnium, quae quis confessus est, & proinde esset onus intolerabile, si quis in ea circumstantia teneretur in confessione recensere ea, de quibus dubitat num aliquando confessus fuerit, & praesertim quando dubium est nega-

est negatiuum, in quo homo pro neutra parte habet rationes. videtur ergo, quod quando quis bonâ fide procedit in confessionibus, si post diuturnum tempus de aliquo peccato solum dubitet num illud confessus fuerit, non teneatur illud in confessione explicare propter rationem dictam.

Multo minus tenetur quis peccatum clauibus subijcere, quando format probabile iudicium, quod illud in confessione explicauerit, licet non sine aliqua formidine de opposito. quia ad hoc, vt aliquis censetur legi satisfecisse, sufficit iudicium probabile de eius adimplentione, & contrarium esset nimis graue. nam cum mens non possit semper formare certum iudicium de adimplentione legis, esset grauissimum onus, si quando cumque occurrit aliqua formido, homo teneretur rursus legi satisfacere, quantumuis probabiliter iudicaret se satisfecisse. hæc autem intelliguntur quando persona iuxta suam conditionem præmisit diligens examen ad rei veritatem cognoscendam.

Obligatur etiam confiteri is qui post diligens examen dubius est de qualitate sui peccati, num videlicet sit veniale an mortale. quia Christus instituyendo hoc Sacramentum, & præcipiendo, vt omnia mortalia subijcerentur clauibus videtur voluisse vt peccator omnia subijceret, de quibus non posset formare probabile iudicium, quod solum essent venialia, idque fuit consentaneum, cum enim non sit cuiusque nosse qualitatem peccati, fuit congruum, vt saltem quando est dubium, peccata iudicibus deferrentur.

De primo genere dubij videtur posse esse aliqua difficultas, quando scilicet homo præmisso examine remanet dubius num aliquod peccatum commiserit. ex vna enim parte videtur obligari illud confiteri.

1. Quia in dubio tutior pars est eligenda.

2. In tali casu homo potest dici habere conscientiam peccati: nam tale peccatum est in conscientia saltem dubia.

3. Homo tenetur conteri de tali peccato, ergo tenetur illud confiteri. quia in homine baptizato illud, quod est necessarium contritionis obiectum, est etiam necessarium obiectum confessionis, cum illud nequeat remitti sine ordine ad clauces. & ita tenentur aliquos citat & sequitur Suarez disp. 22. sect. 9.

Ex altera tamen parte videtur non teneri: quia qui non habet probabile iudicium, quod peccauerit, potest censeri retinere suam libertatem, ratione cuius potest censere se non esse obligatum ad aperiendum peccatum in confessione, & potest censere meliorem suam conditionem possidentis suam libertatem & immunitatem confitendi.

2. Qui post diligens examen remanet dubius de voto non alstringitur quidquam ex voto adimplere, similiter non tenetur alteri soluere, qui dubitat num contraxerit debitum, ergo idem in præsentia dici potest.

Dices hoc dubium quo aliquis dubitat num peccauerit, est solum speculatiuum, cum quo stare potest moralis certitudo de obligatione illud confitendi.

Resp. potuisse quidem ita institui Sacramentum penitentiae, vt etiam imponeretur obligatio recensendi peccata dubia, non verò constare, an ita sit institutum, & de cetero de hac obligatione

nos posse iudicare sicut de alijs ortis ex præceptis, in quibus ex dubio speculatiuo quoad rem ipsam, iuncto principio practico, quod melior sit conditio possidentis suam libertatem, concludimus non alstringi aliquo præcepto.

Dices, est certum peccatum esse dubium.

Resp. non videri quidquam hinc posse confici.

Hæc pars semper mihi visa est speculatiue probabilis, similiter & Lësio, & quibusdam alijs à me consultis.

Ad rationes prioris sententiæ dici potest: Ad primam quando dubium est omnino practicum, tutiorem partem esse eligendam, si verò ex dubio speculatiuo iunctis alijs principijs elici possit conclusio practica, quâ concludamus nos non teneri aliquod onus subire non semper tutiorem partem eligendam, vt varijs exemplis ostendi potest.

Ad 2. resp. neg. assumptum quantum ad præsens institutum pertinet, patet in simili in eo qui dubitat de voto, qui non est dicendus habere conscientiam voti in ordine ad obligationem, & vt teneatur aliquid ex vi voti exequi, similiter qui dubitat num commiserit contra legem habentem annexam excommunicationem, si post diligens examen non possit rei veritatem agnoscere, non tenetur se habere excommunicatum, ergo similiter videtur dicendum quod is, qui post diligens examen non potest iudicare se peccasse, non teneatur censere se obligatum ad illud in confessione aperiendum.

Ad 3. resp. negando consequentiam, ad cuius probationem dico, per se loquendo, obiectum necessarium contritionis in baptizato esse obiectum confessionis quando scilicet constat de peccato; per accidens autem non esse. nam inter præceptum contritionis ex vna parte, & confessionis ex alterâ, est discrimen, quod de lege ordinariâ contritio formalis, vel virtualis de peccato mortali ita sit necessaria extra Sacramentum, vt nullus sine eâ possit consequi remissionem peccati; confessio autem in re non ita sit necessaria. vnde, licet homo propter necessitatem medijs contritionis teneatur conteri de peccato etiam dubio, non idcirco tenetur illud sub tali statu confidendum confiteri. quia in eo statu potest censeri non obligare ius diuinum positum, & licet dicatur quod nullum mortale commissum post baptismum remittatur sine ordine ad clauces, potest intelligi quod præceptum solum vrgeat pro tempore, quo moraliter constat de peccato.

Dixi posteriorem partem videri speculatiue probabilem. quia non iudico in praxi recedendum à priori opinione. vbi obiter

Notandum 1. quod peccatum eo casu debeat explicari tanquam dubium: quia puritas confessionis id postulat. peccata enim dubia aliud requirunt iudicium, quam certa. vnde nisi excuset simplicitas, vel inaduertentia, grauiter peccat is, qui peccata dubia recenset tanquam certa. adde quod quando recensentur peccata dubia, materia aliqua certa sit adiungenda, vt absolutio impendi possit absolutè, in quo casu penitens debet elicere attritionem de eo, quod absolutè subijcit: quia fortè nullam aliud peccatum commisit, & ita si desit attritio respectu illius, fortè deest legitima materia Sacramenti penitentiae, quod est graue incommodum.

Notandum 2. quod licet absolutio, quantum fieri

potest, sit absolute impendenda: possit tamen sine sacrilegio vel vlla irreuerentia in Sacramentum impendi sub conditione in casu necessitatis: vt si moribundus post vnicum peccatum dubium explicatum non posset progredi, nec signum vllum dare, quo absolute agnosceret se reum alicuius culpæ, similiter si in alia graui necessitate post vnum peccatum sub dubio explicatum penitens non posset ulterius progredi.

D V B I V M I V.

Vtrum mendacium in confessione commissum semper sit peccatum mortale?

121.

Causa affir. contra communem.

IT A sentit Caietanus 2.2. quæst. 69. art. 1. cui communiter repugnant Doctores.

Notandum 1. esse mortale recensere in confessione peccatum mortale, quod quis non commisit: quia in eo casu grauius pervertitur iudicium, & cognitio sacerdotis, & in re grauius ad causam pertinente.

Notandum 2. similiter esse mortale recensere veniale, quod quis non commisit, quando nulla alia materia subiicitur: quia tali casu absolutio redditur nulla, cum nulla inueniatur materia, his prænotatis. Resp. &

122.

Conclus. nō semper est mortale mentiri in confessione.

Dico non semper esse mortale mentiri in confessione, vt verbigratia, si quis confitens mortalia, vel etiam alia venialia quæ commisit, adiciat aliquod veniale, quod non commisit, si nihil aliud interueniat, non peccat mortaliter, quia non decipit iudicem in re grauius ad causam pertinente, & proinde mendacium ex eo capite non potest censerī mortale; neque censerī potest mortale, quod in hoc iudicio destituitur materia, cum contrarium supponatur, neque ex eo quod forma sit falsa, vel impediatur effectus Sacramenti: cum enim forma non reddatur aliunde falsa, & non aliunde impediatur effectus Sacramenti, quam quod committitur mendacium, necesse est prius ostendere illud mendacium in nostro casu esse mortale, vt inde concludatur formam reddi falsam & impedi effectum. si ergo non possit solidè aliunde colligi esse mortale, non potest dici esse mortale, quod reddat formam falsam, porro formam non reddi aliunde falsam patet, quia non obstante tali mendacio potest habere legitimam materiam, vt dictum est, penitens etiam potest esse legitime dispositus ad consequendam remissionem aliorum peccatorum.

Coroll.

Ex dictis facile patet fundamentum Caietani esse falsum, scilicet omne mendacium in iudicio esse mortale. cum enim non omne mendacium in iudicio grauius pervertat illius ordinem, vel magnopere faciat ad causam ferendam, sequitur non eo ipso esse mortale, quod in iudicio proferatur, nisi addatur alia circumstantia.

123.

Obiectio 1.

Obijcitur 1. sacerdos intendit à tali peccato absoluere, & proinde forma redditur falsa.

Resp.

Resp. negando assumptum: quia sententia sacerdotis vagè fertur super peccata penitentis, vt patet ex formâ: absoluo te à peccatis tuis, neque sacerdos aliud intendit, vel debet intendere. porro in præsentī absolui patet ex eo quod supponatur materia legitima respectu cuius penitens est legitime dispositus ad absolutionem recipiendam:

Obiectio 2.

Obijcitur 2. si quis materiæ consecrabilī adij-

ceret non consecrabilem pro Eucharistia, grauius peccaret.

Resp. esse diuersam rationem in consecratione Eucharistia, & in absolutione in hoc Sacramento: quia forma consecrationis demonstrat totam materiam præsentem consecrabilem, & in illam fertur, & proinde materiæ consecrabilī adiungere non consecrabilem est graue sacrilegium contra veritatem formæ, in hoc verò Sacramento id non contingit, vt ex dictis patet.

D V B I V M V.

De varijs casibus quibus confessio potest esse non integra materialiter, & physice.

DI C O, materialiter, & physice, quia ex dictis satis constat ad hoc, vt confessio sit, & censeatur legitima, requiri vt sit formaliter integra, seu moraliter, per quam scilicet post diligens examen iuxta supradicta homo purè, & sincerè quoad speciem & numerum recenseat mortalia quantum potest, & tenetur.

Dico, & tenetur, quia ex Doctoribus & ipsa ratione morali constat, quod homo varijs casibus non teneatur instituere confessionem materialiter integram, imò interdum non possit licitè, quantum physice id posset præstare.

Ex duobus ergo capitibus potest contingere, quod confessio possit institui non integrè physice: sit tamen formaliter integra, & legitima, vt super eâ possit impendi absolutio, 1. propter impotentiam physicam, vel moralem, 2. quod penitens propter aliquam causam extrinsecam non teneatur certum genus peccati explicare.

Porro quod propter impotentiam confessio potest esse non integra materialiter patet, eo quod aliàs præceptum diuinum confessionis obligaret ad impossibile, essetq; intolerabile, & per institutionem Sacramenti penitentia iustificatio nullo modo esset reddita facilius, item ex eo, quod abq; physice integritate possit esse vera, & sincera accusatio, quod etiam possit ex alio cap. esse non integra materialiter, & nihilominus possit ceteri for- maliter integra; patet ex eo, quod Christus Dominus, qui instituit Sacramentum penitentia ad salutem animarum, non a instituit, vt cederet graue detrimentum animæ, corporis, vel fame penitentis, vel etiam aliorum, quod posset contingere, si requireretur confessio materialiter integra, quandocumque physice potest adhiberi, vt facile patebit ex varijs casibus quos subiiciemus, contingeret, inquam, per se, & ex vi præcepti confessionis, non verò per accidens.

Potest ergo confessio esse non integra si penitens non possit sua peccata recensere, sed solum in genere det signa doloris, cum signis quod desideret absolutionem, quo casu posse absolui, patet ex dictis dubio ultimo præcedentis quæstionis, & tenent communis Doctores, licet aliqui repugnent, nam tali casu inuenitur confusa saltem confessio, & accusatio, qualis in ijs circumstantijs potest adhiberi, & proinde inuenitur vera materia Sacramenti, & in casu dicto sacerdos prudenter potest absolutionem impendere.

2. Potest esse non integra materialiter, si enumerato vno, vel altero peccato penitens deficiat &c. vel si sit graue periculum ne deficiat, quo casu potest absolui tali peccato audito, & sacerdos potest

test postmodum pergere in audiendā confessione, quā finitā potest iterum absolutionem impendere, quia subsequens confessio reipsa est distincta à priore, & est materia nouæ absolutionis.

Confir. 1. si penitens habebat peccata mortalia, tenebatur ea clauibus subijcere, & ab illis directè absolui, ergo potest, imò & debet absolui, licet ea recenscat immediatè post obtentam priorē absolutionem.

Confir. 2. in confessionibus quæ communi modo instituuntur, si quid ante absolutionem excidat, idque referatur post impensam absolutionem, ea denuo est impendenda, ergo & in nostro casu.

3. Si confessarius propter morbum non possit ulterius progredi, nec possit alius haberi qui confessionem excipiat, penitens potest in periculo constitutus ei confiteri, & sacerdos vno vel altero peccato audito potest absolvere.

4. Quando instat confictus, vel multi in hospitali sunt moribundi, nec plures confessorij possunt haberi, potest confessarius audito vno, vel altero peccato singulorum impetiri absolutionem, quia similibus casibus integra vnus & c. confessio cederet in graue aliorum detrimentum. imò instante confictu quando commodè aliter fieri non possit, possent singuli publicè recensere vnum peccatum, ratione cuius non contrahitur infamia, possentque sacerdotes omnes eadē prolatione verborum absolvere.

5. Si ex auditione integræ confessionis aliquod vitæ periculum imminet confessario, vt in morbis contagiosis.

Aduerte in his & similibus casibus, quibus interdum possit recenseri vnicum peccatum, penitentem debere conari ad dolorem de tali peccato eliciendum. idque cum emendationis proposito: quia alioquin non inueniretur materia Sacramenti, vt patet ex dictis q. 2. & proinde confessarius debet penitentem, vel penitentes ad id excitare.

6. Si quis inuincibiliter non recordetur alicuius peccati. imò si quis sciens se mortaliter peccasse, nullius speciei peccati recordetur, & confiteatur se mortaliter peccasse nihil ulterius addendo, absoluentus est.

Pro casu inaduertentiz inuincibilis. Notandum est, sepe aliquem posse excusari ratione ignorantiz à confessione peccati, quāuis non excusaretur à culpa & peccato, dum actum committeret, vel negligenter operari, quia dum operaretur, respectu conditionis facti ignorantia potuit esse crassa: quæ tamen sit inuincibilis respectu confessionis, & enarrationis ipsius peccati, cuius ratio est, quod ignorantia præcedens, licet crassa, sit causa cur peccatum nullo modo possit menti occurrere prout explicandum in confessione quando conscientia examinatur, seu homo qui etiam culpabiliter non aduertit se peccasse, cum operaretur, non potest, moraliter loquendo, postmodum quando conscientiam examinat, aduertere se tale peccatum commississe, & se debere illud in confessione explicare, atque ita in ordine ad confessionem ignorantia, seu inaduertentia est inculcata. quod frequenter potest contingere in adolescentibus, qui propter ignorantiam crassam non excusantur à peccato, dum se polluant, excusantur tamen à peccato sacrilegij, non recensentes illud peccatum in confessione, eo quod inuincibiliter non aduertant illud esse explicandum.

Nec obstat quod posterior inaduertentia oria-

tur ex ignorantia crassa, quia cum moraliter non possit prauideri securura ex illa præcedenti ignorantia, non debet imputari ad culpam, neque similiter imputari debet ad culpam omisio enumerationis talem inaduertentiam subsequens.

Notandum 2. quod quando homo solum confusè est confessus v. g. solum edendo signa contritionis, vel dicendo in genere se mortaliter peccasse, debeat postmodum species, & numerum peccatorum recensere, si vel recorderetur, vel euadat periculum, licet dici possit absolutus ab omnibus peccatis directè, cum non sit potior ratio vnus, quàm alterius. debeat, inquam, species, & numerum recensere; quia quando absolutio fertur super peccata solum confusè proposita, non habetur ea notitia, quam necesse est posse haberi in foro penitentiz quantum est ex parte penitentis, & proinde quando fieri poterit, ea peccata erunt distinctè in confessione explicanda.

Ex alio capite scilicet quod aliquis non teneatur integrè materialiter confiteri propter certam circumstantiam, potest præteriri peccatum in confessione, si confessarius eo audito non sit seruaturus secretum. 2. si sit alium inducturus in peccatum, 3. si ipsemet confessarius sit ex fragilitate grauitè periclitaturus, 4. si penitenti, vel proximo periculum vitæ, famæ, vel bonorum temporalium imminet. quia diuinum præceptum confessionis non obligat cum tanto nostro vel proximi grauamine, vt ex dictis patet. imò in varijs casibus non possumus integrè confiteri, quia Christus non permittit, vt ad integritatem materialem confessionis seruandam possemus proximo grauitè nocere, & facere id, quod aliis grauitè repugnaret charitati, vel iustitiæ.

Probat, constat ijs casibus præceptum diuinum integritatis materialis confessionis non obligare, ergo præceptum naturale charitatis, vel iustitiæ erga proximum vim suam retinet, ergo qui in his casibus constituitur integrè materialiter cum damno proximi, peccat. prior consequentia probatur, si hæc præcepta vim suam perderent, id contingeret propter concursum cum diuino præcepto integritatis etiam materialis confessionis, & ex eo quod Christus Dominus tanquam absolutus Dominus omnis iuris creature voluerit confessionem institui materialiter integram non obstante damno proximi, quod dici nequit: quia si id verum esset non tantum possumus integrè materialiter confiteri in ea circumstantia, sed etiam teneremur, 2. id esset dicendum quod Christus voluisset rigidissimè seruari integritatem materialem confessionis, quod ex sensu Ecclesiæ, & ex rationibus factis constat esse falsum.

5. Non tenemur, nec verò possumus in confessione recensere peccatum, quod non possumus aperire sine fractione sigilli confessionis. quia illud sigillum strictius obligat, quàm integritas materialis confessionis.

6. Si confessio fiat per interpretem videntur posse omitti ea, quæ grauem infamiam generari possent.

Aduerte 1. vt quis prudenter aliqua in confessione omittat, debere prudenter iudicari subesse morale periculum, & non sufficere leues suspiciones. & quidem si eo casu possit alius confessarius inueniri, à quo similia incommoda non timeantur, querendus est: ei que peccata sunt integrè aperienda, cum penitens teneatur procurare quantum potest integritatem confessionis. quod si non

Non teneatur aliquando penitens integrè confiteri ob causam extrinsecam.

128. Quibusdā casibus non licet integrè confiteri;

Ad aliud omittendū debet prudenter iudicari subesse morale periculum.

possit commodè inuenire, potest reticere ea, obque prudenter timetur aliquod damnum spirituale, vel temporale, ut diximus, remanente obligatione illa explicandi sublatà circumstantià excusante.

Aduerte 2. quòd quando prudenter censetur subesse pericula relata, non tantum liceat peccatum reticere, quando urget præceptum confessionis, v.g. in articulo mortis, item ut impleatur præceptum confessionis, vel communionis annuæ, vel quando quis ex alio capite tenetur communicare, ut quando sacerdos tenetur sacrum facere, vel ex voto, vel ex consuetudine ordinis &c. sed etià extra tempus præcepti, quando subest gravis causa instituendi confessionem, ut si homo deberet alioquin diutius differe confessionem, si tubilatum promerendum, si ex confessione magnum fructum spiritualem referat pro directione suæ conscientiæ, quia his & similibus casibus esset graue onus debere omittere confessionem, eò quòd illa non possit materialiter integrè institui sine detrimento proprii boni, vel boni proximi.

Dices Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. tradit penitentes debere explicare omnia peccata mortalia, quibus post diligens examen se Dominum Deum offendisse meminerint, ergo extra casum obliuionis (& saltem naturalis impotentiae) necesse est materialiter integrè confiteri.

Resp. negando consequentiam, quia Concilium non intendit excludere casus, quibus ex Doctorum sententià, & ex ipsà ratione fundata in principijs moralibus constat per accidens posse confessionem institui non integram materialiter, sed solum intendit tradere, quid, per se loquendo, sit necessarium.

Præter dictos casus sunt alij, de quibus controvertitur inter auctores, num scilicet eorum occasione liceat instituere confessionem non integram, v.g. quando quis habet casus reueruatos, 2. quando ad explicationem peccati necesse est recensere personam complicitis, de priori agetur infra, de posteriori hic agendum, itaque

D V B I V M VI.

Virum, si peccatum non possit explicari, nisi recensatur persona complicitis, confessio possit institui non integra?

129. **D**ixi, non possit explicari, quia conuenit non posse recenseri personam complicitis, si peccatum quoad suam ultimam rationem possit explicari, prout commissum est, non nominatà personam complicitis, v.g. si coniugatus carnaliter cognouerit a tercio uxorem, non potest dicere quam personam in particulari cognouerit, cum illà tacitè eius peccatum perfectè quoad speciem cognoscere possit, conuenit etiam quòd si in casu præsentis dubij possit adiri alius confessorius, qui personam complicitis non nouit, is sit aduendus. 3. conuenit quòd si alius non possit adiri, quàm is, qui nouit complicitem, penitens debeat exterius ita se gerere, si possit, ut non cognoscatur, & ita complex non veniat in notitiam confessarij. 4. etiam conuenit quòd si ex reuelatione complicitis aliud graue malum eidem imminet, is non debeat nominari, his præmissis

Quaestio in eo versatur, an quando non potest alius adiri, & peccatum non potest aliter perfectè explicari, quàm nominatà personam complicitis, qui apud confessorium aliquam infamiam incurrit, ea debeat nominari, an verò possit illud peccatum saltem externum, & quoad ultimam rationem reticere? ut si quis matrem propriam carnaliter cognouisset.

Duplex est hac de re sententia. prior asserit circumstantiam complicitis recensendam, nec propterea posse confessionem institui non integram, tenent Richard. distinct. 21. art. 5. quaest. 2. Durandus distinct. 16. q. 4. Palud. eadem distinct. q. 3. art. 3. ad 2. & plures alij quos citat & sequitur Vasquez q. 91. art. 3. dub. 3. num 13. Suarez disp. 34. sect. 2. & quidam alij recentiores.

Posterior negat. Caiet. in summà, verbo confessio, conditione 3. Canus relect. de penitentia p. 5. §. ut igitur hoc dissidium, Nauarr. in summà, cap. 7. num. 3. & 4. Sald. tomo 1. de iustitia q. 73. art. 2. controuersia 1. conclu. 2. §. secundum penitentem, Nauarr. Valent. disp. 7. q. 11. puncto 1. §. quartus si peccatum, Bannes 2. 2. q. 33. post articulum 8. §. prima pars, & alij.

Hæc sententia videtur probabilior, pro cuius probatione

Supponendum 1. ex communi Doctorum sententià in materià de detractioe, contra Caietanum, non licere peccatum alicuius occultum etià uni graui personæ referre, licet nullum aliud damnum sequeretur, quàm quòd persona, de qua crimen refertur, iacturam famæ apud audientem patiatur.

Supponendum 2. quòd ex dictis patet, integritatem materiale confessionis non ita esse necessariam, quin varijs casibus absque illà confessio possit legitimè institui, & in particulari quando ex eà notabile damnum proximo oriretur.

His suppositis probatur posterior sententia: non licet peccatum proximi etiam uni reuelare extra confessionem, ex quo sequatur proximo grauis infamia, quia verè illi graue infertur damnum, ergo nec licet illud in confessione aperire, consequentia probatur eadem ratio damni inuenitur, quando persona complicitis explicatur in confessione, ergo quantum est ex eo capite non licet eam aperire, nec potest ostendi quòd liceat aperire propter integritatem confessionis, cum, ut dictum est, præceptum diuinum integritatis confessionis varijs casibus non obliget, quando ex materiali integritate confessionis damnum proximo imminet, & non possit facile ostendi, quòd Christus tanquam Dominus famæ alterius velit eà neglectà confessionem institui materialiter integram, unde non satis constat præceptum naturale non infamandi proximum, quòd extra hunc casum obligat, in eo vim suam non retinere.

Confir. non facile potest ostendi præceptum confessionis institutum in bonum animatum debere impleri, quoad materiale integritatem, cum tanto proximi detrimento, quòd detrimentum nullo ipsius bono compensatur, sicut aliquis infamia penitentis, quæ includitur intrinsecè in confessione, magno eius bono spirituali compensatur.

Dices 1. penitens habet ius instituendi integram confessionem non obstante alterius infamia.

Resp. negando assumptum quando alter per

Obiectiuncula.
Trident.

Resp.

Solutio quaest. 1.

130.

Prior sententia.

aliter dicitur.

complicitis.

recensendum.

dam. n.

Rich.

Durand.

Palud.

Vasq.

Canus.

Pollicitus.

negat.

Canus.

secundum penitentem.

Nauarr.

Valent.

disp. 7. q. 11. puncto 1.

§. quartus si peccatum.

Bannes 2. 2. q. 33. post articulum 8. §. prima pars, & alij.

131.

Negat.

probatur.

Aplica.

Solutio.

Probatur.

clul.

Aplica.

2.

Resp.

134.

Confir.

135.

Obiectio.

Resp.

ipsum.

ipsum penitentem infamatur, licet enim posset confessionem integram instituire non obstante infamazione, ad quam solum permittitur se habere: non tamen potest positum infamare, ut instituat confessionem materialiter integram; saltem non potest ostendi ius ad id habere.

Dices, si non possit explicare, subibit onus illud in alia confessione data opportunitate explicandi.

Resp. ita esse, nec mirum videri debet, cum ex varijs alijs capitibus simile onus per accidens subeat.

133. Dices 2. in nostro casu complex videtur tacite consentire, ut eius persona explicetur in confessione, nam cum peccauit, in illas angustias se coniecit.

Resp. Respondeo negando etiam tacite consentire, qui enim peccat cum alio, non eo ipso consentit ut peccatum suum occultum alteri reueletur, unde nisi aliunde habeamus posse penitentem explicare in confessione personam complicitis, ex eo capite non poterit, nego etiam quod se coniecit in angustias quod eius peccatum in confessione detegatur: quia potest sibi persuadere peccatum non posse à complice in confessione explicari, certe opus est prius ostendere personam complicitis posse aperiri, quam dicatur complicitem peccato in illas angustias se redegit. quem admodum prius opus est ostendere Christum voluisse præceptum integre confessionis obligare, etiam quo casu peccatum complicitis sit aperiendum, quam dicatur præceptum naturale de seruanda fama proximi vim suam non retinere, concurrente præcepto diuino confessionis.

Dices, id dici posse, quia suppetit rationabilis causa, scilicet integritas confessionis.

Resp. cum materialis integritas confessionis non semper requiratur, nisi prius ostendatur in hoc casu obligare, potius dicendum conseruationem famæ complicitis esse iustam causam illam omittendi quam contra.

Dices consilium petendum à confessario est causa rationabilis ob quam liceat explicare personam complicitis, ergo.

134. Respondeo negando consequentiam: quia in casu obiectionis supponi debet, quod confessarius non possit solidum consilium dare nisi personam complicitis intellegat, unde bonum animæ penitentis non potest aliter obtineri, & ita subest grauis causa aperiendi personam complicitis: in casu verò dubij constat confessionem posse in genere institui sine explicatione complicitis, solumque controuertitur, num quoad hanc circumstantiam debeat materialiter integre institui, videturque probabilius quod non, propter rationes allatas, & quod non obstante reticentiâ personæ complicitis penitens non fraudetur fructu Sacramenti.

Iuxta posteriorem sententiam sufficit explicare voluntatem interiorem, quæ non inuoluit alterius peccatum, & explicare speciem actus externi, ex quâ similiter peccatum complicitis non cognoscitur, verbi gratia, dicendo volui matrem carnaliter cognoscere, & dicendo fui fornicatus.

Aduerte priorem sententiam esse probabilem, & in praxi securam.

Pro complemento dubij Notandum quod cum in hoc Sacramento solum requiratur confessio formaliter & moraliter integra; is autem

confiteatur integre confiteri, qui procedit secundum probabiles Doctorum sententias, si quando aliqua sententia probabiliter aliter peccatum aliquod, vel circumstantiam posse in confessione reticere, confessio sit legitima, quamuis illud reticeatur, quia confessio moraliter integra, & legitima accusatio multum pendet ex prudenti hominum iudicio, quod proinde sequi licet absque eo quod confessio censetur culpabiliter mutuari.

Censetur moraliter integre confiteri, qui procedit secundum probabiles Doctorum sententias.

D V B I V M VII.

De quibusdam casibus quibus confessio est repetenda.

135.

SUPPONO 1. confessionem validam, quam subsecuta est valida absolutio, non esse necessarium repetendam per se & ratione diuini præcepti confessionis, ut ex dictis facile patet, & ex infra dicendis amplius apparebit, quia peccata semel legitime clauibus subiecta, & per Sacramentalem absolutionem remissa nequeunt amplius retineri (sepono reservationem Casuum) dixi per se &c. quia potest aliquis obligari ad iterandam confessionem etiam validam, ratione voti, cum id sit honestum.

2. Si in aliqua religione sit talis consuetudo vel lex, in quam censetur consentire quisque voluntarie talem statum suscipit.

3. Si quis habens casum reservationem habuerit facultatem confitendi inferiori cum onere se confitendi superiori, tenetur illum casum intra vel extra confessionem eadem aperire.

Suppono 2. etiam extra dictos casus confessionem validam posse laudabiliter repeti. patet ex vfu fidelium instituentium confessiones generales ad maiorem deuotionem, & fructum percipiendum.

136. Confir. homo potest coram Deo dolere de peccatis remissis, & eorum veniam secundò petere, ergo & ea secundò clauibus subiicere.

Petunt autem varij an dicens sacerdoti se velle instituere confessionem generalem totius vitæ, possit absque graui peccato aliquod graue crimen (alias legitime confessum) reticere. quidam negant, eo quod talis sit hypocrita, & confessarium grauius decipiat, sed contrarium verius est, quod censent alij, cum ex suppositione illud peccatum non sit materia necessaria, & penitens non decipiat confessarium in re necessario pertinente ad hoc tribunal, & proinde eius hypocrisis non sit perniciofa. præterea confessarius potest seruare æquitatem quoad ea, quæ illi proponuntur, his præmissis ut ad propositam quætionem reuertamur,

137. Constat quod confessio ex necessitate præcepti sit repetenda, quando fuit inualida, ut si defuit necessarius dolor ad absolutionem iuxta dicta quæst. 2. dub. 6. secundò si in confessario defuit intentio absoluendi, vel non protulit legitimam formam, vbi tamen obiter

Aduerte nullum debere esse anxium de repetenda confessione propter defectum intentionis in confessario, quia nisi constet de contrario, debet præsumi legitima intentio in ministro.

Tertiò, si confessarius caruit iurisdictione, de quo etiam defectu penitens non debet esse magno-

pere

pere anxius, quando ex sua parte bona fide processit, & moraliter ei non constat confessarium non habuisse iurisdictionem.

Quartò, si confessio non fuit formaliter integra, vel quia peccatum mortale commissum, voluntariè non fuit explicatum, vel quia non commissum fuit explicatum, vel quia sufficiens discussio conscientie non fuit præmissa, ita ut negligentia fuerit mortalis, quod addo, quia si solum fuerit venialis, non impedit vel necessariam integritatem confessionis, vel fructum Sacramenti: si verò fuerit mortalis, semper impedit, ut tradunt plures contra Sorum dist. 18. quæst. 3. art. 3. conclus. 3. docentem requiri negligentiam crassam, quam videtur distinguere à mortali. circa hæc

Qui habet curam animæ, ne sibi persuadear suas confessiones fuisse inuales defectu examinis.

Aduerte 1. ex Victoria num. 161. eos qui curam habent animæ suæ, non faciliè deficere in examine conscientie, & proinde non debere sibi persuadere confessiones ex parte defectus examinis sufficientis fuisse inuales, & tanquam tales repetendas.

Aduerte 2. eum, qui in confessione notat se leuiter conscientiam examinasse, debere illud ipsum confiteri, debere etiam de peccatis per confessarium interrogari. quibus interrogationibus si defectus penitentis suppleri possit, eum posse absolui, & posse esse securum, si verò propter temporis diuturnitatem etiam per sacerdotis interrogationes non possit numerus peccatorum probabiliter iniri, speretur autem illum posse iniri per exactius examen, remittendum ut diligentius se examinet.

Dico, speretur, propter simpliciores qui non possunt conscientiam faciliè examinare, qui non sunt faciliè remittendi, sed à confessario examinandi, prout spectato eorum statu, & occasionibus peccandi commodè potest.

138.

Aduerte 3. quibus casibus propter inualiditatem Sacramenti confessio est repetenda, non statim opus esse repetere omnes confessiones intermedias, quia fieri potest quod in huiusmodi intermedijs nihil fuerit culpabiliter prætermisum, & Sacramentum fuerit validum. qui enim mortaliter peccauit initio anni instituendo confessionem sine sufficienti prævio examine, potest postmodum legitime confiteri, licet illum defectum, & peccatum in priori confessione commissum non explicet: quia nimirum inuincibiliter non aduertit illa esse clauibus subijcienda, quod fieri posse diximus supra in simili de eo qui licet non excusaretur à peccato, dum actum committeret ex ignorantia crassa, quod esset peccatum: supposita tamen ignorantia conditionis actus sui potest inuincibiliter non aduere illud esse in confessione aperiendum. in dicto ergo casu sufficit explicare peccata confessionum inualidarum, quod est notandum pro confessionibus generalibus, quæ interdum sunt ex necessitate instituendæ.

139.

Aduerte 4. quòd quando confessio apud alterum sacerdotem instituitur, debeat integrè, & in particulari fieri: si verò instituatur apud eum, qui priores exceperat, & qui meminere statum penitentis, & penitentiae iniunctæ, sufficiat si vno verbo omnia rursus subijciantur, & addantur omissa, verbi gratia, dicendo subijcio clauibus, quæ aliàs sum confessus, quemadmodum sufficienter instituitur confessio pecca-

torum quæ sunt nota sacerdoti, vel in eius presentia sunt, dicendo: confiteor peccatum, quod vidisti, vel nosti. quod si confessarius nullo modo meminerit status penitentis, & confessio fuerit nulla propter defectum iurisdictionis, integritatis, vel doloris, opus est singula recensere: si verò confessio fuerit legitima, sed Sacramentum fuerit inualidum propter defectum intentionis, vel formæ, Suarez in fine sect. 6. disput. 22. sentit penitentem posse petere absolutionem absque noua peccatorum enumeratione: quia, ut sacerdos rite absoluat, sufficit recordetur hunc penitentem fuisse sibi rite confessum, & bene dispositum, quamuis nullius peccati in particulari recorderetur, & similiter sciat quòd penitens nihil graue postmodum commiserit, in quo stare potest eius iudicio, vel si commiserit, illud adiungat, quo ergo casu penitentia iniuncta est, ita fieri posset, si verò non esset iniuncta, peccata denuo essent recensenda ad æquitatem seruandam in illa imponenda, videri potest Vasquez quæst. 92. art. 3. dub. 3.

Aduerte 5. quando confessarius nullo modo in confessione percepit aliquod peccatum, illud esse repetendum, licet confessio aliàs fuerit legitima; quia hoc iudicium non solum requirit, ut causa à reo dicatur, sed etiam à iudice percipiatur.

QUESTIO VI.

De forma Sacramenti penitentiae.

DVBIVM I.

Quanam sit forma huius Sacramenti?

RESP. esse hanc: Ego te absoluo à peccatis tuis. patet ex Concilio Florent. decreto de Sacramentis, & ex Trident. sess. 14. cap. 1. & ex sensu, & praxi ipsius Ecclesie, quam formam omnino esse conuenientem ex eo patet, quòd Sacramentum penitentiae sit institutum per modum iudicij; penitentia autem absolutionis Rei in iudicio aptè hoc modo fertur: ego te absoluo.

2. Minister in hoc Sacramento reconciliat, & remittit peccata tanquam iudex, quod per prædictam formam optimè significatur, igitur ea est conueniens, cum forma Sacramentorum debeat significare, quod operatur.

Porrò ex communi sensu Ecclesie & Doctorum ita requiruntur verba ad substantiam formæ absolutionis ut nulla alia signa ad eius ad substantiam formæ sufficiant, & Sacramentum perfici nequeat signo, vel scripto ministri, quod etiam indicat Tridentinum supra tradens formam in ministri verbis positam esse. vnde planè improbabiliter aliqui contrarium censuerunt.

Dices 1. non repugnat naturæ iudicij, quòd in eo sententia feratur scripto, vel nutu.

Respondeo ita esse, neque censemus verba in hoc iudicio requiri quòd aliud signum repugnet naturæ

Si in intermedijs confessionibus nihil fuit culpabiliter commissum, Sacram. potest esse validum.